



ANIMADVERSIONES IN TOTAM CLASSEM DECIMAM

Agentem de Trochiscis paginâ 85. & seq.



N hac *Trochiscorum* Classe nonnulla annotanda forent, quæ in *Animadversionibus in Species, Pulveres & Pilulas* eventillata sunt; verum, quia brevitati studeo ac eandem recoquere crambem mihi animus non est, ad eas *Benevolum* Lectorem remitto, confidens easdem huic *Classi* prudenter eum applicaturum. Quædam tamen me hic particulariter sistunt: ac imprimis quidem *Trochiscorum* figura, quæ, certè ignoro, in quem finem inventa sit ac in *Pharmacopolia* intrusa: etenim cum sub hac forma *Medicamenta* *Ægris* exhiberi nequeant (solis exceptis *Trochiscis bechicis nigris*) & antequam in usum trahantur in pulverem denuò eos conteri necesse sit, ut deindè ex iis *Boli* vel *Pilulæ* vel alterius formæ *Medicamenta* conficiantur, formam hanc prorsus supervacaneam, utiliusque eorum ingredientia in pulverem aut aliam *Medicamenti* formam usui non repugnantem redigi posse, existimo: præterquam quod hi *Trochisci* commodè sese in pulverem tenuem teri propter *Gummatum & Macillaginum* quibus

quibus in hanc formam compinguntur, tenacitate, vix umquam patiantur.

Sileo *Medicamenta* haud rarò in operationibus suis retardari & impediri propter prædictam *mucillaginem* qua eorum *particulæ* pertinaciter involvuntur.

Prætereo *Trochiscos Cypheos & Hedyroi* pro solo *Mitridatio & Theriaca* in officinis dispensari, cum tamen *cuncta* penè eorum *ingredientia* ipsa *Theriaca & Mitridatium* recipiat, nihilque hac *Trochificatione* obtineri, quam *particularum balsamicarum & aromaticarum irreparabilem jacturam*, prout examinanti, & nostras in *Theriacum & Mitridatium Animadversiones* vel leviter inspicere dignanti abundè patebit.

De *Trochiscis Scylliticis & Viperinis*, quid sentiendum, ex præfatis in *Theriacam & Mitridatium Animadversionibus* propatulum est, ubi luce meridianâ clarius demonstravi, nil minùs eos quam nomini suo respondere, primosque præter *Farinam Orobi albi* aut *Radicum Dictamni*, alios præter *Panem Biscoctum* vix quidquam continere, ubi pariter ostendi, quid secundùm rectæ rationis ac judicii dictamen iis surrogandum sit.



ANI-